



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VI. Fit satis quibusdam argumentis aduersus nostram ac verio-
rem
sententiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

tione, quam ad se communicandum habet, non habet necessitatem se in actu secundo communicandi alicui creaturæ finitæ, eamque producendi, quia nimirum respicit essentialiter in actu secundo terminum simpliciter infinitum, quem actu producit, cuique necessario se communicat: ergo similiter quoties virtus aliqua in actu primo terminum infinitum essentialiter respicit, ita eo adæquatur, ut alium finitum in actu primo essentialiter non respiciat, nec ad eum dicat ordinem transcendentalem. Idem argumentum, & fortasse clarius confici potest in ipso attributo diuinæ omnipotentia, si præter virtutem producendi ad extra comprehendit sub se indiuisibiliter potentiam generandi, & spirandi ad intra, ut censent Marfilus, Ferraricus, B. Thomas, Argentina, Egidius Romanus, & Canariensis apud P. Valquez tom. 2. in 1. p. disp. 165. cap. 1.

36. Argumentor denique sexto: ad perfectionem diuini intellectus simpliciter simplicem, eique essentialem non spectat, ut cognoscere possit absolute creaturas esse possibiles: similiter ergo ad perfectionem diuinæ omnipotentia simpliciter simplicem ideoque essentialem, ac necessariam non spectabit, ut creaturas possibiles producere absolute possit; ac proinde ad eas non habet ordinem transcendentalem. Antecedens suadetur: in rebus necessariis inseparabiliter idem sunt, esse, ac posse esse: scientia autem simplicis intelligentia, siue possibilium cognitio est necessaria simpliciter: ergo inseparabiliter idem sunt cognoscere possibilia, & ea posse cognoscere: at ad perfectionem diuini intellectus Deo essentialem non attinet, quod possibilia absolute cognoscat, sed quod si possibilia sint, eum non lateant, sicut Deo essentiali non est, ut futura per scientiam visionis absolute cognoscat, sed quod si futura sint, eum non fugiant: igitur ad perfectionem essentiali diuini intellectus non pertinebit, ut possibilia cognoscere absolute possit. Consequentia autem principalis argumenti nostri videtur sine ullo discrimine: sicut Deus est necessario intellectuius ad extra, cum tamen hæc absoluta necessitas non præcisè ex perfectione Deo essentiali, sed insuper ex rebus ipsis possibilibus, earumque, possibilitate proficiscatur; cur obsecro, non poterit esse absolute, & necessario productius ad extra, quin hæc absoluta necessitas ei essentialiter, & intrinsecus adueniat, sed extrinsecus à non repugnantia possibilium? Præsertim cum intrinseca, & essentialis connexio inter Deum, & possibilitatem creaturarum haud sit adstruenda sine virgensi fundamento: quia ratione vel ipsi aduersarij docent, ne inter res creatas ponendam esse summam connexionem temerè, & absque efficaci aliquo fundamento, ideoque nec materiam cum existentia formæ substantialis, nec subiectum quantum cum quantitate, si hæc ab eo distinguitur, aut è conuerso connecti essentialiter, sed potius posse saltem diuinitus inuicem separari. Quod autem in præsentem nullum sit virgens fundamentum adstruendi connexionem summam, & essentiali inter creatorem, & creaturas possibiles iam patebit solutione argumentorum, quæ communiter obijci solent in contrarium.

CAPVT VI.

Fit satis quibusdam argumentis aduersus nostram, ac veriore sententiam.

Deum referri transcendentaliter ad creaturas possibiles, & cum earum possibilitate essentialiter esse connexum communis est Thomistarum opinio: præsertim vero id tuentur Bannez, Caietanus, Aluelda, Nazarius, & Torres apud nostrum Georgium Hemelman volum. 2. in 1. part. tit. 8. disp. 1. cap. 2. In eadem sententia sunt apud eundem ex nostris Valentia, Tannerus, Zunniga, Arriaga, Suarez, Fasolus, Herice, quam hi tres posteriores in modo loquendi dissideant, & connexionem Dei cum creaturis possibilibus appellare nolint relationem transcendentalem. Id ipsum propugnant absolute quidem, & absque ullo etiam quoad modum loquendi discrimine Granadus, Ruiz, Compton, Salas, Meratius, Martinon, Franciscus Amicus, & Franciscus de Lugo, alique Authores nostri.

Pro qua sententia aduersus nostram, magisque probabilem sententiam argues primò in hunc modum. Deus secundum se, & prædicata sibi essentialia, & quidditatiua sumptus est absolute potens producere creaturas: ergo & cum iis essentialiter connexus, ad easque transcendentaliter relatus. Id suadetur, quia si non esset per se ipsum essentialiter potens producere creaturas, maxime quoniam ea denominatio esset in eo ab æterno à possibilitate, ac non repugnantia intrinseca creaturarum, veluti in genere causæ formalis: at huiusmodi æterna possibilitas, & non repugnantia intrinseca creaturarum est impossibilis, & repugnans: ex ea enim fieret, essentialiam distinguere realiter ab existentia, item aliquid à Deo distinctum existere ab æterno, nec non quidpiam esse ens per denominationem extrinsecam ab alio, nec non ipsummet prædicatum talis possibilitatis esse simul, & non esse à se; quæ aperte sunt contradictoria, & absurda: quod autem sequantur, constat ex dictis supra cap. 2. Verum respondeo, ea non sequi, ut à nobis clarè ostensum est eodem cap. 2. Quare antecedens argumenti falsum est, nec minus falsa, & neganda minor propositio, qua probatur.

Aliter etiam responderi potest ad idem argumentum, & quidem satis probabiliter; licet possibilitas, ac non repugnantia creaturarum merè possibilium non detur ab æterno secundum aliquid esse positium, & physicum à Deo distinctum, ut hoc aduersarij disputandi gratia largiamur, tamen eam ab æterno dari secundum esse intentionale sibi extrinsecum, & se habens ex parte diuinæ mentis, quatenus nimirum à Deo semper cognita est, in eiusque mente, & intellectu latuit. At Deus per hanc cognitionem sibi quodammodo contingentem, erit ab æterno potens producere creaturas: non est igitur, cur hæc denominatio absolute potentis Deo essentialis esse debeat. Quod forte voluit Scotus in 1. dist. 48. quæst. vnic. ubi sæpissimè doctrinam nostræ solutionis insinuat, & præsertim sequentibus verbis ibi: *potentia actiua, qua Deus dicitur omnipotens, non est formaliter intellectus, sed quasi præsupponit*

presupponit actionē intellectus. Quasi diceret, Deū dici omnipotentem à scientia simplicis intelligentiæ, seu cognitione possibilem, & ab hac veluti in genere causæ formalis inadæquate præfatam denominationem oriri. Itaque si creaturæ possibiles repugnarent, ac per consequens denominatio potentis absolute eas producere, sanè eo ipso deficeret cognitio illa diuina veluti contingens ad earum possibilitatem terminata, non tamen prædicatum aliquod Deo essenziale, & quidditativum.

40. Alij. vt argumento superiori respondeant, distinguunt duplicem possibilitatē creaturæ: aliam positivam: & per hanc aiunt, Deum denominari non posse absolute productivum creaturarum, eo quod hæc denominatio ab æterno sit, & pro priori signo naturæ ad rerum existentiam, & productionem; nullum vero prædicatum positivum creaturæ detur vel ab æterno, vel pro priori signo rationis ad existentiam, aut productionem suam: aliam verò negativam: quæ nihil aliud est, quàm non repugnantia, seu carentia repugnantia: & per hanc censent, Deum dici, & esse absolute potentem producere creaturas, eo nimirum quod ad instar aliarum negationum æterna, sicut est æterna in Deo denominatio absolute productivi creaturarum; nec contra eam militent pleraque argumenta, quæ possibilitatem positivam, & æternam creaturarum numquam extitutarum oppugnant.

41. Verum hæc solutio facile refelli potest: nam qua ratione possibilitas creaturarum negativa esse dicitur; eadem, & maiori, repugnantia impossibilem negativam esse debet: cum impossibilitas, quæ cum repugnantia coïncidit, non minus negationem præferat, quàm non repugnantia, quæ cum possibilitate eadem est: igitur non repugnantia est quid positivum, & nequitiam negativam, esto verbis negationem exprimentibus significetur. Consequentia suadetur: quia carentia carentiæ est quid positivum: at repugnantia est negatio: ergo non repugnantia quid positivum. Confirmatur, quia Authores huius solutionis in explicanda possibilitate, & impossibilitate manifestam circulationem committunt, cum possibilitatem explicant per hoc, quod sit carentia repugnantia; & impossibilitatem seu repugnantiam per hoc, quod sit carentia possibilitatis. Nec satisfacere possunt distinguendo duplicem etiam repugnantiam; aliam positivam, negativam aliam: & possibilitatem negativam, quam adstruunt, esse carentiam prioris repugnantia, scilicet positivæ, non verò posterioris, & negativæ; ac per consequens non esse quid positivum, cum sit (vt dictum est) carentia non carentiæ, sed extremi positivi. Non inquam, satisfacere possunt, hoc pacto: quoniam iam datent prædicatum aliquod positivum, æternū, ac reuera tale, vt contra illud militent omnia argumenta superius cap. 2. opposita contra possibilitatem positivam rerum numquam extitutarum à Deo distinctam: hanc igitur frustra, & satis inconsequenter negarent.

42. Arguunt secundo aduersarij. Eo ipso, quod possibilitas, & non repugnantia creaturæ à Deo sit velut à principio, & radice, nequit Deus non connecti cum creaturis possibilem, aut ad eas transcendentaliter non referri: sed possibilitas creaturæ qua de agimus, à Deo velut principio

originem trahit: quid enim à Deo distinctum potest esse à se? quod si non à se esse potest, sanè oportet, vt sit à Deo, velut à principio, & radice prima: Deus ergo à creaturis possibilem absolute esse nequit. Minor ob rationem insinuatam, aliasque superius cap. 2. propositas videtur perspicua. Maior suadetur. Primò, quia si repugnantia creaturæ est à Deo, sanè est ab eo, vt quodammodo potère eam producere ad esse male etenim non repugnantiam effectus fundare potest virtus, quæ effectus nullatenus productiva est: qua ratione apud v.g. non repugnantiam Angeli fundare, & radicare nequit: at non est à Deo, vt duntaxat conditionatè potente producere creaturam, si nimirum ipsa non repugnet; cum Deus sit etiam conditionatè potens producere chimæram, si non repugnaret, vt superius prælibavi, quin tamen ob id non repugnantiam chimære tribuat, eamne inferat, aut fundet: igitur à Deo vt absolute potente producere creaturam. Tum sic: Deus, quæ est absolute potens producere creaturam, eiusque non repugnantiam fundat, & infert: prius igitur natura Deus est potens absolute producere creaturam, quàm hæc non repugnet: atque adeò essentialiter, & per se ipsum, non verò per non repugnantiam creaturæ est absolute potens producere creaturam; ac proinde ad eam transcendentaliter refertur: igitur de primo ad ultimum, vt aiunt, ex origine possibilitatis creaturarum à Deo, huius ad illas relatio transcendentalis sequitur: quæ erat maior, quàm probandam assumpsi. Ea autem ulterius probatur secundò in hunc modum: si possibilitas, & non repugnantia creaturæ est à Deo, certè ab eo est velut à principio proximè necessitati: nequit enim esse ab eo tanquam à principio libero; cum Deus facere nequeat, vt creatura vlla impossibilis sit, aut contradictionem misceat: at omne principium necessarium cum effectu suo essentialiter, & antecedenter connectitur: igitur si non repugnantia, & possibilitas rerum à Deo est, profecto nequibit ab eo non esse velut à principio essentialiter, antecedenterque connexo: ac per consequens ad eas transcendentaliter referetur.

43. Respondeo primò, minorem huius argumenti posse negari; neque improbabile esse, quod possibilitas creaturarum à Deo distincta sit à se secundum quid, & improprie, ac non à Deo. Quæ autem in contrarium obijci possunt, & solent rationes, ex quidem omnes, aut certè pleraque, ac magis efficaces sunt à nobis supra citato cap. 2. abundè labefactæ. Respondeo secundò, & quidem probabilius, maiorem argumenti esse falsam, & contrà verissimum, omninoque tuendum, quod possibilitas creaturarum oriatur à Deo, velut à principio aut quasi principio. Ita non solum Thomistæ, & cæteri communiter aduersarij, sed etiam ex nostræ sententiæ patronis G. Vazquez citat. disput. 104. primæ part. cap. 6. nu. 26. & P. Hemelman relata etiam disp. 1. tit. 8. cap. 4. citans pro eadem sententia Henricum, Albertinum, Ruiziumque de Montoia. Favent etiam apud eundem ex PP. Anselmus, Methodius, Zeno Veronensis, Richardus Victorinus, omniūque clarissimè Augustinus tom. 1. lib. de vera relig. cap. 18. ibi: *Itaque omne quod est, inquantum est, & omne quod nondum est, inquantum esse potest, ex Deo habet.* Quamvis autem hæc ita sint; cæterum

ceterum negandum prorsus est, sequi connexionem ullam essentiali Dei cum creaturarum possibilitate ex eo, quod huiusmodi possibilitas creaturæ oriatur à Deo.

44.

Ad priorem autem rationem contrariam dicendum est, illius maiorem, qua statuitur, possibilitatem creaturæ Deo posteriorem hoc ipso debere esse ab eo, ut prius potente quodammodo producere creaturam; illius, inquam, hanc maiorem esse falsam. Deum enim posse producere creaturam, & hanc posse à Deo produci, siue esse à Deo possibilem sunt correlatiua: atqui correlatiua sunt simul tempore, natura, & cognitione, iuxta Aristotelem, quem sequuntur omnes: igitur non est prius naturæ, seu rationis ordine Deum posse producere creaturam, quam hanc esse possibilem à Deo: possibilitas ergo creaturæ non oritur à Deo, ut potente eam producere: alioqui possibilitas illa creaturæ esset ordine naturæ posterior, quam potentia producendi se habens ex parte Dei: quod tamen est omnino falsum. Declaratur intellectum cognoscere obiectum, & obiectum esse cognitum ab intellectu sunt simul omnino; nec hoc, quod est cognosci obiectum, oritur ab intellectu, ut prius obiectum cognoscere, sed ab intellectu secundum se, & præcisè considerato: similiter voluntatem amare obiectum, & hoc esse ab illa amatum, volitumque simul se habent; nec denominatio amati oritur à voluntate ut prius amante, sed ab ea secundum se, & absolute spectata. Pari ergo ratione disputari debet circa correlatiua, de quibus in præsentibus; dicique, possibilitatem creaturæ, siue creaturam esse possibilem Deo, & Deum posse producere creaturam, esse simul, ac se inuicem concomitari: possibilitatemque creaturæ esse quidem à Deo secundum se, & instar entis absolutissimi sumpto, non vero ab illo, ut prius potente creaturam producere, aut à non esse ad esse transferre. Exemplum autem lapidis non potentis fundare, aut inferre possibilitatem Angeli in contrarium obiectum non virget: siquidem lapis non ideo nequit fundare, & radicare non repugnantiam Angeli, quia priori signo naturæ, & rationis ad illam Angeli non repugnantiam, lapis non est potens producere Angelum: sed quia lapis non est ea substantia, siue essentia, quam respicit possibilitas Angeli, siue quia hic non est non repugnans, seu possibilis produci à lapide: cuius non est alia querenda ratio, præter naturam, & essentiam lapidis, atque Angeli. At Deus est substantia, & essentia, quam cuiusvis creaturæ possibilitas respicit transcendentaliter, & à qua omnes creaturæ sunt posibles produci: non est ergo, cur Deus tametsi absolutissimus ens non possit, modo statim explicando, fundare, & radicare cuiusvis creaturæ possibilitatem: proinde falsum est, hanc haud posse à Deo oriri, nisi ut prius potente producere creaturam quamvis.

45.

Ad posteriorem rationem contrariam, eamque magis difficilem, & operosam dici potest, quod possibilitas creaturarum oriatur à Deo, ut à principio non libero, nec necessario, sed præscindente à libero, & necessario, atque inter utrumque medio. Ratio autem huius est: quia idcirco principium existentiae realis effectus cuiuscunque, de quo solo dici potest, habere veram rationem causandi, & principiandi; idcirco, inquam, tale principium semper debet esse vel liberum,

vel necessarium, & non potest esse medium inter utrumque, sed debet esse alterutrum, ut factentur omnes: quia ante omnem existentiam realem producendam præsupponitur pro priori signo rationis possibilitas existentiae talis, vel solius, & non carentiae illius, vel indifferenter existentiae, seu carentiae existentiae: quod si pro priori ad existentiam datur eius solius possibilitas, fieri non potest, quin principium existentiae sit necessarium: si autem non eius solius, sed illius, & similiter carentiae oppositae, seu non existentiae, certe principium existentiae debet esse liberum: quid mirum ergo, si in principio existentiae realis haud sit assignare medium inter esse liberum, & esse necessarium; At nulla possibilitas ex parte Dei præcedit, aut intelligitur pro priori ad possibilitatem creaturarum: sicut enim vnionis non daretur vnio, nec actionis actio; sic possibilitatis creaturarum non datur alia possibilitas præuia, sed ipsamet possibilitas creaturam, & eas facit posibles, seu non repugnantes, ac se ipsam etiam denominat non repugnantem, & à Deo oriri potentem, aptamque; alioqui in possibilitatibus; sicut in modis, procederetur in infinitum. Quandoquidem ergo possibilitatem creaturarum nulla præcedit possibilitas, certe eam non præcedit possibilitas eius solius, nec possibilitas eius, aut contrariae impossibilitatis: unde nihil eam antevertit, ratione cuius possit Deus eius esse principium liberum, aut etiam principium necessarium. Quamobrem etsi principium existentiae necessario debeat esse principium necessarium, aut liberum; secus tamen dicendum de principio ipsiusmet possibilitatis, quod de Deo dicitur, eique conuenit. Deus ergo erit principium possibilitatis, de qua agimus, partim liberum, partimque necessarium, & aliquid vnus; ac non nihil etiam habebit alterius: cum principio libero id commune sortietur, quod ex se sit omnino indifferens, ut detur, vel non detur possibilitas creaturarum, nec eam magis petat, quam illius carentiam: cum principio vero necessario, quod nec de potentia absoluta possit eam non inferre possibilitatem; qua inferendi necessitate quæ maior potest excogitari.

46.

Secundo dici potest ad eandem posteriorem rationem contrariam, oriri possibilitatem creaturarum à Deo, velut à principio necessario: at de ratione principij necessarij, seu naturalis non esse, ut antecedenter, ac præuè connectatur cum effectu, si non sit principium necessarium se ipso determinatum ad operandum, seu quasi operandum, sed potius principium aliunde determinari petens: sic habitus supernaturalis charitatis non concurrat, ut principium liberum, sed potius ut naturale, ac necessarium ad amorem Dei supernaturalem: & tamen non est se ipso pro priori connexus cum tali amore, imò nullam habet cum eo connexionem præuiam, & aliunde emendicam: nimirum quia ad eum eliciendum non est se ipso determinatus, sed potius petit determinari ad illum à voluntate; cuius solius est & liberè amare, & amorem liberè amare, ac reliqua amoris principia determinare: atqui Deus ita est principium necessarium, ac naturale possibilitatis creaturarum, ut ad eam inferendam non sit se ipso essentialiter determinatus, sed potius ab ipsamet possibilitate eiusmodi determinetur: quamvis ergo Deus sit eius principium necessarium, propterea tamen

tamen cum ea non debet connecti præuè, & per se ipsum.

47.

Aliter etiam explicari potest id ipsum: quia esto principium necessarium existentia cuiusvis debeat cum ea pro priori connecti (quod certè de principio totali, ac principali negari non potest, quidquid sit de partiali, cuiusmodi est habitus, quem voluntas determinat) ceterum principium etiam adequatum, ac totale possibilitatis creaturarum esse poterit Deus Opt. Max. sine connexionè præuà. Ratio discriminis est: quia quoties principium totale est necessarium, effectus eius necessarius, aut quasi effectus debet pro aliquo signo intelligi simpliciter determinatus ad esse, & ne diuinitus potens non esse: cum igitur hæc essentialis determinatio ad essendum, & consimilis impotentia ad non essendum existentia finitæ, cum necessario producit, haud possit obuenire ex meritis, & prædicatis essentialibus suis: quippe ratione quorum causa est omnino contingens, & potens non esse, sanè opus est, ut eiusmodi determinatio, & impotentia illi conueniat, ac tribuatur à connexionè præuà, ac diuinitus ineluctabili propria principij necessarii, à quo producit: talis ergo connexio præuà ad principium totale omnis existentia requiritur: at possibilitas creaturarum ex se, & ex meritis, ac prædicatis essentialibus suis est summè determinata, ut sit à Deo, & etiam diuinitus impotens non esse ab illo. Quamobrem necesse non est, ut eam fortiatur determinationem, & impotentiam summam à Deo, à quo necessario oritur; neque consequenter, ut aliquam ex eius parte connexionem præuam supponat.

48.

Denique idem explanatur, nempe quo pacto possibilitas creaturarum oriatur à Deo, velut à principio necessario. Dupliciter enim intelligi potest, Deum esse antecedenter connexum cum possibilitate creaturarum, cuius est principium necessarium. Primò, ut illa connexio antecedens sit positua, Deoque intrinseca, & essentialis; eaque cuius ratione, ac vi Deus petat essentialiter dari possibilitatem illam: secundo ita ut eiusmodi connexio antecedens sit tantum negatiua, ac Deo omnino extrinseca, & duntaxat in eo consistens, quod pro priori signo rationis ante possibilitatem nihil intelligatur, quod possit eam separare à Deo, aut facere ne sit: nihil inquam, creatum, aut increatum, ac nulla vi, & ne diuinitus etiam. Ut ergo Deus sit principium necessarium possibilitatis creaturarum, non requiritur, ut priori modo connectatur præuè cum illa, id est posituè & essentialiter, atque intrinsece; cum tamen de hac potissimum connexionè sit quæstio, & in ea sola consistat ordo transcendentis. Satis ergo superque est, quod Deus connexionem antecedentem cum possibilitate creaturarum extrinsecam, & negatiuam fortiatur, ad id, ut illius sit principium necessarium, & non liberum: hanc autem eius cum illa connexionem dari nobis nil officit, ut manifestum est. Ac profecto, ut Deus, habere dicitur impotentiam antecedentem non existendi, non quia aliquid sit ante Deum, quod eum necessitet, ut sit, & existat; sed quia nihil ante eum est, aut potest esse, quod facere possit, ne sit: ita similiter haud video, cur more huius impotentia antecedentis negatiua non possit dici Deum habere connexionem antecedentem negatiuam cum possibilitate creatura-

rum, eo præcisè quod nec Deus ipse, nec aliud quidpiam ad eam præsupponatur cum potentia, & facultate eam à Deo separandi, aut faciendi, ne Deo existente ea tamen non sit. Atque hæc de hoc argumento satis sunt.

CAPVT VII.

Aliorum argumentorum aduersus veriorum sententiam solutio.

ARguunt tertio aduersarij: omnipotentia est attributum Deo intrinsecum, & essentialè physicè, & realiter, tametsi metaphysicè, & ratione nostra eo posterius sit: at omnipotentia Dei cum creaturis essentialiter connectitur, & ad eas transcendentaliter refertur: ergo, &c. Minor probatur: quia omnis vera, & realis potentia est in ordine ad aliquem effectum: quare, sicut repugnat cognitio sine veritate, quam cognoscat, & amor sine bonitate, in quam feratur; ita repugnat vera, & realis potentia sine effectu possibili, quem producere queat: igitur à fortiori omnipotentia, quæ cæteris potentiis infinites perfectior est, aliquem effectum possibilem, quem possit producere, essentialiter postulat.

Respondent aliqui, omnipotentiam esse virtutem producendi quidquid contradictionem non implicat; futurum autem, ut Deus posset producere quidquid contradictionem non implicat, esto omnes creaturæ implicarent, & impossibiles essent: ac proinde eum denominatum iri omnipotentem eo in euentu. Itaque Deus, quatenus omnipotens, duntaxat est potens producere creaturas posibles, si posibles sint, siue sub conditione, quod non repugnet: at potestas conditionata producendi creaturas posibles, eas absolute posibles non postulat, illque deficientibus permaneret: igitur omnipotentia Dei creaturas posibles absolute non postulat, casuque quo deficerent, remaneret. Hæc tamen solutio confutatur ad homines: quia, iuxta non paucos aduersariorum, quoties vnum cognosci potest in alio, alterum refertur transcendentaliter ad alterum: at creaturæ posibles quoad earum essentiam, & quidditatem cognosci possunt in omnipotentia Dei, si hæc eas respicit essentialiter conditionatè: hoc ergo respectu conditionato in Deo admisso, non poterit non admitti in eo transcendentalis ordo ad creaturas: sed ij, quibuscum disputamus, respectum illum conditionatum in Deo admittunt: quomodo ergo in eo negare possunt ordinem transcendentem ad res creatas? Confirmatur, & declaratur: iuxta eosdem, & iuxta veritatem, actus fidei verbi gratia, quo quis crederet, Petrum conuertendum, si vocetur, respicit transcendentaliter consensum liberum Petri, quem tamen conditionate respicit: cui enim ambiguum esse potest, quin omnis cognitio creata saltem de facto existens suum transcendentem respiciat obiectum? ergo etsi omnipotentia conditionatè creaturas posibles respiciat, eas adhuc transcendentaliter respiciet ubi eiusmodi respectus Deo sit essentialis.

Secundò confutatur eadem solutio: quia Deus non est verè, & realiter potens mentiri: & tamen posset mentiri, si mendacium ei non repugnaret,

49.

50.

51.